

12

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IURIDICA
SISTENS 1796, 12
OBSERVATIONES QVASDAM
DE 406
RE IUDICIARIA BERNENSI

QVAM
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
DIE V. AVGUSTI MDCCXCVI.

DEFENDET

CAR. LVD. RVDOLPH. DE WATTENWYL, DE MALESSERT
CIVIS BERNENSIS.

GOTTINGAE
TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

V I R I S

ILLVSTRISSIMIS ET GENEROSISSIMIS

D O M I N O

W O L F G A N G O C A R O L O
D E G I N G I N S

DOMINO DE CHIVILLY, ORNY ET MOIRY, QVAESTORI TERRAE
VELDENSI REGNANTI, CVRIAEC PROVOCATIONVM VELDENSI,
QVAE BERNAE EST, PRAESIDI;

D O M I N O

I O A N N I C A R O L O D E H A L L E R

SENATORI VRBIS ET REIPUBLICAE BERNENSIS GRAVISSIMO
CVRIAEC PROVOCATIONVM GERMANICAE PRAESIDI;

D O M I N O

A B R A H A M O F R I D E R I C O
D E W A T T E N W Y L

SENATORI VRBIS ET REIPUBLICAE BERNENSIS GRAVISSIMO,
SENIORI GENTIS WATTENWYLIANAEC, PROAVVNCVLO
HONORATISSIMO,

HOC STVDIORVM SVORVM SPECIMEN

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

A V C T O R .



anno 1590
anno 1590
anno 1590
anno 1590

Cum semper mihi esset persuasum, "turpe esse patrio et nobili, et causas orantia, ius in quo versaretur, ignorare" *) in omni historiae iurisque studio id maxime mihi propositum erat, ut, quantum possim, patrii praesertim iuris cognitionem mihi compararem. Tantus autem huius disciplinae est ambitus, tot tantaeque occurunt difficultates, ut iuueni, quamvis summo patriae litterarumque amore ducatur, campus magis datus esse videatur, in quo excurrat, quam quem emetiarur. Nemo ideo aequus rerum aestimator in hoc, quod publico submittimus examini, studiorum specimine, omnibus numeris

*) L. 2. §. 43. D. de orig. iur.

meris absolutam argumenti pertractionem exspectabit.
Hoc tantum reipublicae nostrae patribus ciuibusque pro-
bare cupimus, nos non in eorum referendos esse nume-
rum, qui, vt CICERONIS verbis vtamur, ciuitatis suae
iura ignorantis, peregrinari in aliena ciuitate, non in
sua viuere videntur.

SECTIO

SECTIO I.

FRAGMENTA HISTORICA DE RE IUDICIARIA BERNENSI.

§. I.

Quas foris res gesserint Bernates, quae bella confece-
rint, quae foedera panixerint, multi multis commentariis
tradiderunt. Quae autem domi fuerit rerum facies, si
quaeras, frustra historiarum euolues libros. Altum piae-
serit tum de legum ciuitatis Bernensis origine, tum de
iudiciorum constitutione omniq[ue] re iudiciaria silentium
est. Illam quidem historiae patriae partem post clarissi-
mum LERBERVM a) praeferim opera sua illustrare coepit
cel. WALTHERVS b). Altera autem, quantum nobis certe
innotuit,

a) SIGISMUNDI LUDOV. LERBER de fontibus iuris patrii p[ro]electio.
Bernae 1748. rec. 1783.

b) Versuch zur Erläuterung der Geschichte des vaterländischen
Rechts. Bern 1765. vbi privilegium Friderici II. Imp. d. a. 1218
eruditis commentariis illustratum habemus. Versuch einer Ein-
leitung zu der Geschichte des Bernerischen Stadtrechts. Bern
1780. Geschichte des Bernerischen Stadtrechts, erster Band.
Ursprung der Stadtrechte, von GOTTLIEB WALTHER. Bern 1794.

innotuit, plane adhuc intacta est. Tanto magis igitur speramus, fore ut fragmenta historica, disputationi nostrae praemissa, candidos facilesque inueniant censores.

§. 2.

Condita est *Berna* in ea Imperii Germanici parte, quae innumeris fere dominorum mutationibus tantam legum diuersitatem acceperat, vt notum illud AGOBARDI *a)*, Lugdunensis Episcopi eam optime describat. “Si non, inquit, tantae diuinæ operationis veritati aliquid obsistat *tanta diuersitas legum*, quanta non solum in singulis regionibus aut ciuitatibus, sed etiam in multis dominibus habetur. Nam plerumque contingit, vt simul eant aut sedeant quinque homines, et nullus eorum communem legem habeat cum altero.” Antiquissimo enim tempore regio illa Gallorum iure vtebatur. Post a Romanis subacta et in prouinciae formam redacta iuri Romano etiam priuato paruit, cuius usus magis magisque innaluit, postquam omnes Romano imperio subiecti iure ciuitatis Romanae donati sunt. Erepta autem Romanis maxima Galliae parte a barbaris gentibus, Helvetia occidentalis Burgundionibus cessit, eorumque legem Gundobadum accepit, usu tamen iuris Romani non penitus sublatu *b)*. Accesserunt huic legum confusione, firmato Francorum imperio, capitularia regum Francorum, quae tamen apud Helvetios neque plenariam, neque in omnibus

a) Lib. aduers. Leg. Gundob. C. 4.

b) HEINECCIUS p. 1075. I. CONR. FVESLIN Epit. hist. Helvet. antiqu. L. II. c. 2. §. 5.

bus Helveticae terrae partibus, aequalem auctoritatem habuisse videntur. Fundato posthaec a Courado Guelpho Burgundiae transiuranae regno, iuris priuati vsus iudiciorumque forma aliquam subiit mutationem; maiorem tamen, postquam Burgundiae transiuranae regnum ad Germanos fuit translatum. Eodem fere tempore canonicum ius in has etiam terras irrepsit, a Iustinianeo iure omnique eius subtilitate forensibusque artibus et ambagibus comitatum c). Egregie tamen falleretur, qui ex hac legum confusione etiam origines rei iudiciae Bernensis deducendas esse putaret. Aliter plane res se habet. Berna enim vrbs condita est eo demum tempore, quo Burgundia transiurana Imperio Germanico iam fuerat vindicata; condita a Principe Germanico; e Germania coloni in eam deducti pluresque multis propositis immunitatisbus ad eam inhabitandam inuitati sunt. Originem enim suam politicis potissimum rationibus debet Berna, iisdem fere, quibus adducti in Rheni ripa proximisque Germaniae partibus castra vrbesque firmauerant Romani d). Burgundiae transiuranae proceres incolasque Germanorum iugum detrectantes ut facilius coercere possint huius provinciae

c) WALTHER Einleitung etc. Schwierigkeiten der Helvetischen und Bernischen Rechts-Geschichte. pag. i seqq. 28 seqq.

d) De Druso Florus in Epitome rerum Romanarum, Lib. IV. Cap. XII. p. 875. "DRVSUS in tutelam prouinciarum praesidia atque custodias vbique disposuit, per Mosam flumen, per Albinam, per Visurgim: nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit."

vinciae duces et rectores e), vicos, villas castraque et oppida firmabant, moeniisque cingi iubebant, quin novarum plane ciuitatum fundamenta iaciebant. Conditis iam ciuitatibus Mildena, Iserta, et Burgdorio, in ea provinciae parte, vbi nunc Berna sita est, ducis auctoritati, publicaeque securitati nonae adhuc urbis praesidio consulere visum est. Berna conditur f). An in territorio ipsius imperii immediato, non liquet; parumque interest, quin id verissimum sit, Bernam a Germanis esse conditam, a Germanis habitatam, Germanicis inribus institutisque et privilegiis ornatam, et tandem, extincta Zaringiorum gente, Imperio pleno iure adiunctam g). Ipsa igitur Bernensis ciuitas a primis incunabulis ab ista iurium confusione intacta manebat, iureque et consuetudinibus ciuitatum Germanicarum, ut tum temporis erant, vtebatur h).

§. 3.

Bercholdus V., Zaringiae Dux, circa seculi duodecimi finem Bernae fundamenta iecit, eique iura ciuitatis Friburgensis dedit. Paullo ante hoc tempus ciuitatum Germanicarum conditio multo durior fuit, ac eo tempore,

quo

e) Hoc enim titulo vsi sunt Zaringiae Duces. GUILLEM. de reb. Helvet. p. 284.

f) WALTHER Einleitung etc. p. 57 seq. 99 et 100. Endzweck der Erbauung der Stadt Bern. Eiusdem Geschichte des Bernerischen Stadtrechts, Hauptstück III. p. 86 et 87.

g) A. L. DE WATTEVILLE Histoire de la confédération Helvétique. Edit. 3. Tom. I. L. II. p. 72.

h) WALTHER l. c. p. 107.

quo Berna vrbs condita est. Seculo enim circiter duodecimo post tot in Imperio, praesertim Henrici quarti tempore, excitatos motus, in multo maiorem libertatem coeperunt exsurgere ciuitates *a*), et pedetentim iura, iurisdictionem et similia acceperint, connuentibus Imperatoribus, immo et libertatem ob varias causas donantibus. Imprimis ius constituendi senatum et consules, aut iudices vel scabinos, tandem et criminalium rerum iudicium consecuti sunt *b*). Quae in tempora quum primae Bernae origines inciderint, eam quoque praeclaris priuilegiis a conditore suo fuisse dotatam, non sine iusta causa creditur, quamuis documenta, quibus priuilegia erant contenta, non amplius extent *c*).

§. 4

Secundum Imperii Germanici leges et consuetudines *a*) priuilegiorum confirmatio ab Imperatoribus quaesita et impetrata est *b*); et BERCHTOLDVS tandem, vt vrbis libertatem contra nobilium impetus firmius tueatur, eam, si non Imperio Germanico attribuit, tamen speciali Imperoris Friderici II. tutelae commendasse videtur *c*).

B 2

Quod

a) H. CONRING de vrbibus Germ. §. 120.

b) Ibid. §. 126 et 127. LEHMANN Speierische Chronik, Band 2.
Cap. 16. 17.

c) WALTHER Einleitung etc. p. 108.

a) Ibid. p. 106 nota *e* et p. 107 nota *a*.

b) Ibid. pag. 108.

c) Ios. SIMLERVS de republ. Helvet, Tig. 1734. pag. 80. DE WATEVILLE l. c.

Quod autem ciuitatibus semper maxime curae cordique fuit *d*), ut iura sua, praesertim *iudiciorum forma et ordo*, sarta tectaque maneant, id Bernates etiam a Friderico II. impetrabant *e*). Defuncto enim anno 1218 Berchtoldo, ultimo Zaringiae Duce, pleno iure Berna vrbs Imperii Germanici ciuitas facta est, eiusque nunc quam maxime interfuit, ut iura a conditore concessa seruaret. Quod quidem eo facilius factum, quum, extincta quoque eodem fere tempore Sueviae Ducum familia, Imperatori e re sua visum sit, superioris Germaniae vrbes proxime

d) Ita de Lubecensibus Chron. Slav. L. II. Cap. 35. §. 8: Post aliquot antem dies Burgenses reuersi cum Guncelino Comite ex praecepto Ducis (*Henrici Leonis*) ciuitatem in manus eius (*Friderici I. Imp.*) tradiderunt. Verum prius quam ei ciuitatem apernuissent, exierunt ad eum rogantes, ut libertatem ciuitatis, quam a Duce prius traditam habuerunt, obtinerent, et iusticias, quas in priuilegiis scriptis habebant, secundum iura Sosatiae etc. Imperator vero annuit petitioni eorum, et non solum ista confirmavit etc. — Idem Imperator anno 1188 Lubecensibus *iura*, *qua* primus loci fundator, Henricus quoniam Dux Saxoniae, eis concessit, et priuilegio suo firmavit, et *ius condendi et angendi statuta*, impertinuit. LÜNIG Reichs-Archiv, Parte spec. Cont. IV. p. 1330.

e) WALTHER Versuch zur Erläuterung der Geschichte des vaterländischen Rechts. Bern 1765. *Idem* Einleitung etc. pag. 109. et Geschichte des Bernerischen Stadtrechts. P. I. Hauptstück III. pag. 87. vid. quoque *Handveste der Stadt Bern von Kayser Friederich dem andern gegeben*, in der Helvetischen Bibliothek St. IV: pag. 1 sq. et I. C. H. DREYER Beyträge zur Litteratur und Geschichte des teutschten Rechts pag. 49.

sub imperio suo retinere, earumque sibi conciliare specialem fidelitatem, eamque ob causam criminalium tantum rerum praetoram sibi servare, aliorum autem munerum constitutionem libero oppidanorum arbitrio relinquere, confirmatis priuilegiis et immunitatibus, quas a ducibus suis iam erant consecutae f).

§. 5.

Antiqua autem consuetudine Imperii ciuitatibus communia quodammodo inter se erant iura, et non ius solummodo, statuta condendi iudiciaque ordinandi ad modum antiquorum ciuitatum, posterioribus concedebatur, sed etiam his illarum sequi statuta permittebatur. Bernae itaque conditor Friburgensium iura et priuilegia cum Bernatibus communicauit a). Friburgum autem a conditori suo ius Coloniensis ciuitatis acceperat b). Non vero

f) H. CONRING de urbibus Germ. §. 125.

a) Handveste der Stadt Bern Art. 1: "Quum Bertoldus Dux Zeringiae burgum de Berna construxit, cum omni libertate, qua Conradus Friburgum in Brisgau construxit."

b) Handveste l. c. Conradus Dux Zeringiae Friburgum in Brisgau construxit, ac libertate donauit secundum ius Coloniensis ciuitatis. — Priv. Friburgense de anno 1126: Notum sit . . . quod Bertholdus Dux Zaringiae in loco proprii fundi sui Friburc videlicet . . . secundum iura Coloniæ, liberam constituit fieri ciuitatem. WALTHER Geschichte etc. Beylage I. Recte cel. Auctor (l. c. III. Hauptstück p. 66. nota a) arguit, statuta Friburgensia, hoc priuilegio comprehensa, antiquiora esse ipsis Susatensibus, quae ultra tempus, quo Susatum in manus Ar-

B 3 chiepiscopi

priora tantum priuilegia confirmauit Imperator, sed et ea insuper etiam amplificauit, "omnia praesertim iura et libertates, quae in rodalibus Bernae et Friburgi continentur," rata habuit, addita facultate, noua condendi statuta c).

§. 6.

Quod autem ad iudiciorum constitutionem et formam attinet, paucis tantum momentis conficiebatur. Mos enim illius erat aei, non omnia copiose describere, plurima potius obseruantiae, cuius quoque communionem aliquam inter diuersas ciuitates intercedere credebant, relinquere. Communicatis cum noua vrbe iuribus, consuetudinibus et priuilegiis, quibus praecipuae Imperii ciuitates vtebantur, illius erat, ad harum exemplum regimen internum remque iudicariam ordinare. Atque ita Berna quoque vrbs, accepto Friburgiensium et Coloniensium iure, eodem modo iudicia sua constituendi, facultate praedita erat. Friburgensibus priuilegio fundatoris *electio Sculteti* concessa fuit a). Potestatem scabinos eligendi ex antiquissima consuetudine omnes habebant ciuitates. Bernatibus autem primo Berchtoldi priuilegio *tuis*

chiepiscopi Coloniensis peruenit (circa ann. 1180) ascendere non videntur. V. SILBERRADIVM ad HEINECCI Hist. iur. civ. Lib. II. Cap. III. §. 87. not. x.

c) Handveste art. vlt.

a) WALTHER I. c. pag. IV. et V. *Scultetum*, lictorem, pastorem, quem Burgenses annuatim elegerunt, dominus ratum habebit, et confirmabit.

tius magistratus liberam electionem expresse et plenis-
sime concessam fuisse, ex confirmatione Friderici II. Imp.
apparet b), nec est, cur dubitemus, facultate hac Berna-
tes nunquam non usos esse c).

§. 7.

Praeterea quod ciuitatibus semper quam maxime ex-
 optatum erat priuilegium, ne ciues euocentur, Bernates
 quoque obtinuerunt. Cautum enim est, ne ciuius ciuem
 coram extraneo iudice conueniat a), immo ne extraneus
 contra ciuem testis sit b). Ceterum, quae ad rem iudi-
 ciariam spectent, non nisi, quae sequuntur, expressa lege
 sancita sunt: 1) vt ad probandum duo testes idonei re-
 quirantur c). 2) Ut ad testimonium legitime dicendum

anno-

b) Handveste (Helveticische Bibliothek Stück IV. pag. 4. die Aemter)

Wir geloben euch auch, das wir, noch einer unserer Nach-
 kommen, einen Schuldheissen, noch einen Leutpriester, noch
 einen Schulmeister, noch einen Sigristen, noch einen Rath,
 noch einen Weibel, noch anders einen Amtmann sollen sezen,
 wann wen ihr sezet mit gemeinem Rath, den sollen wir be-
 stätigen. Ihr möget auch alle Jahre den Schuldheissen, den
 Rath, und alle der Stadt Amtleute, ohne einig den Leutpri-
 ster wandeln, ob es euch gefällt.

c) Conf. quae hac de re egregie scripsit Io. St. FR. DE MÜLINEN
 im neuen Schweizerischen Museum 1794. Heft VI. pag. 416.

a) Handveste I. c. pag. 10. Priv. Friburgense I. c. pag. XII. n. 53.

b) Ibid. pag. 7. Priv. Frib. I. c. pag. IX. n. 34.

c) Handveste I. c. p. 7. Priv. Frib. I. c. p. IX. n. 35.

annorum XIV aetas sufficiat d). 3) Ut lites inter ciues et mercatores, mundinarum tempore ortas, secundum consueta mercatorum, et praecipue ciuium Coloniensium iura dirimantur e). Varia denique 4) de delictis eorumque poenis sancita sunt, quae, quamuis passim de iuris dictione statuant, minus tamen ad rem nostram facere videntur.

§. 8.

Friburgensibus porro coloniam appellare, restricto tamen modo, concessum erat a). Eadem quidem concessio in Bernatum priuilegio non reperitur; tacite autem ei inesse videtur propter constitutam inter utramque civitatem iurium et priuilegiorum communionem. Neque tamen Bernates ista appellandi libertate usos esse, exempla habemus; a Berna autem ad Friburgum delatas olim caussas fuisse constat b). Ex antiquo enim more eae ciuitates, unde aliae ius suum municipale acceperant, ab his

a) Handveste l. c. pag. 22. Priv. Frib. "Nullus *infra XII annos* constitutus testimonium ferre poterit." l. c. p. VIII. n. 27.

e) Handveste l. c. pag. 4.

a) Priv. Frib. Si super aliqua sententia fuerit inter Burgenses orta discordia, ita, quod una pars illam vult tenere sententiam, alia vero non, ex XXIV consulibus duo, non simplices Burgenses, super ea Coloniam appellabunt si volunt: et si cum testimonio Coloniensium reuersi fuerint, quod vera sit sententia, pars contraria reddet eis expensam omnem, quam fecerunt. Si vero Coloniensium iudicio non obtinebunt sententiam, ipsi damnum ferent et expensam. L. c. pag. IX et X. Nr. 36.

b) WEHNER Obs. pract. vom Zugrecht. pag. 721.

his metropoleon quasi loco habebantur, et a sententiis domi latis ad illas prouocabatur vrbes, quarum iura ad optauerant.

§. 9.

Quum itaque et Friburgensis et Bernensis respublica ad Coloniensis ciuitatis exemplum ordinata fuerit, veri simile est, utramque ciuitatem, etiam in iudiciorum constitutione idem secutam esse exemplum, conditoremque vrbis idem ius sibi reseruasse, quod ad Coloniensem pertineret Archiepiscopum. Aliqua tamen intercessit differentia. Coloniae enim ciuilibus quoque iudiciis praeerat Archiepiscopus eiusue praefectus. Scabini autem e ciuium numero electi ex antiquo Germanorum more sententiam dicebant. *Bernatibus* vero et *Scultetum* eligere licebat, cuius tantum confirmatio domino vrbis erat reseruata (§. 7.).

§. 10.

Causarum autem criminalium cognitio ad solum Dominum, ciuitatisue iudicem, Domini vices gerentem, spectabat, adhibito tamen Scabinorum consilio. Quod non solum ex vniuersali Germaniae consuetudine et Coloniensium iure a), sed etiam ex ipsis Friburgi et Bernae priuilegiis b) appareat.

§. 11.

- a) Vid. ex. gr. Henrici, Archiepiaci Coloniensis priuilegium Ciuitati Coloniensi anno 1229 concessum, vbi: "Recognonimus praedictae ciuitati iura sua et consuetudines suas approbatas, specialiter etiam tam nos, quam dicta ecclesia et Piores re-

G

cognos-

Hinc defuncto a. 1218 Berchitoldo, ultimo Zaringiae
Duce, Bernaque vrbe nunc plenaria immediata cum
Imperio R. G. coniuncta, factum est, vt ei Fridericus II.
Imp. *praefectum* dederit Ottонem, equitem a Ravens-
purgo a). Sunt quidem, qui Ottонem hunc nunquam
Bernae *praefectum* fuisse credunt b), tum, quod Imperii
camerarius fuerit c), tum, quod in causa Praepositi et
ecclesiae Interlacensis contra Waltherum de Eschenbach,
puncto aduocatiae, Bernae index Domini Imperatoris *de- legatus*, sit nominatus, indeque possit colligi, illum Ber-
nam

cognouimus et recognoscimus eidem ciuitati *consuetudinem antiquam* et iuri consonam, talem videlicet, quod nullus ciuium Colonensium pro delicto seu criminе infra (intra?) Coloniam et terminos ipsius ciuitatis, qui dicuntur Burban, commissio vel quod dicitur commissum extra Coloniam a nobis vel successoribus nostris *in ius vocetur*, nec aliquo conueniatur, sed nos et successores nostri *in palatio nostro Coloniae praesidere debemus*, et ibi secundum quod *sententia Scabinorum Colonensium dictauit, iudicare.*" LÜNIG Reichs-Archiv Part. spec. Cont. IV. Sect. 9. pag. 341.

- b) Vid. v. c. Priv. Frib. I. c. p. IX. n. 31. 32 etc. Priv. Bern. I. c. p. 12: Todschlag, Wundthaten; p. 14: Urhab Krieges; p. 14 et 15: Um Frefel außer der Stadt etc.
- a) SIMLERVS de republ. Helvet. L. I. sub rubr. Berna, pag. 50. HEIDER von Reichs-Vogteyen p. 88 et 89. et reichsvögteyische Apologie, p. 56.
- b) Conf. scriptum Dom. DE MÜLINEN supra (§. 6. not. c.) allegatum.
- c) HEIDER von Reichs-Vogteyen, pag. 44.

nam esse missum, vt lites inter proximos vrbi status dirimat. Verum enim vero, non *Otto*, sed *Dieto* (*Dietericus*) de Ravenspurg Imperii tum temporis erat Camerarius; et fingamus, Ottонem vnam eandemque cum Dietone fuisse personam, documentum, in quo Dietonis mentio fit, anno 1216 datum est, adeoque quo minus idem anno 1218 ab Imperatore Bernae praefectus fuerit nominatus, camerarii officium nil impedit. Quin etiam praefectis collectarum Imperialium, monetarum, aliorumque reddituum fiscalium administrationem quandoque commissam fuisse, inter omnes constat. Indicis autem ab Imperatore delegati nomine imperialium ciuitatum praefecti saepius vtuntur *d*). Otto autem expressis verbis Bernae index nominatur. Nec recte contendi potest, illum in extraneos tantum iurisdictionem exercuisse. Contrarium enim ex ipso exemplo, quod in medium prolatum est, appareat, quum Waltherus de Eschenbach, a Praeposito Interlacensi in ius vocatus, ciuis Bernensis fuerit. In omni autem hoc argumento id praesertim videntur est, ne *Praefecti* et *Sculpteti* officium confundatur. Eo enim factum est, vt scriptores quidam sculpteti officium, sublata demum praefectura, initium cepisse crediderint. Praefecti autem non erat, vt nonnullis visum est *e*), in administranda ciuitate vices Imperatoris gerere, vniuersamque regere rempublicam, sed ad eum tantum

C 2

iudicii

d) KNIPSCHILD de iuribus et priv. ciuit. Imp. Lib. 5. Cap. 3. §. 86
et 87.

e) Vid. MART. MAGER de Aduocat. c. 2. n. 229.

iudicii criminalis praesidium et sententiarum de punientis delictis latarum executio pertinebat. Praefecti enim prouinciarum et ciuitatum imperialium in Germania et *Helvetia* de more non nisi iudices criminales erant. Quod quidem de Helvetiorum rebus publicis grauissimorum virorum testimonio extra omnem dubitationis aleam positum est f). In quibusdam tamen locis praefecti ciuilibus quoque iudicis intererant, et executoris sententiarum in causis tam ciuilibus quam criminalibus munere fungebantur, sicuti de *Colonia* supra (§. 9.) tradidimus. Haec autem iura Bernensis praefectus nunquam habebat g). Praepositus enim erat Bernae ciuili iudicio Scultetus,

f) SIMLER de republ. Helvet. L. 1. Ed. Tig. 1734. p. 8 et 9.
STVMPPF Chron. Helvet. Tom. II. L. 6. c. 6. p. 133. Münster.
Cosmogr. L. 3. c. 68.

g) Exemplum, quod huic assertioni contrarium esse videtur, in medium profert LAVFFERVS (Beschreibung Helvetischer Geschichte. P. III. L. II. p. 47.) ex eoque concludit, Scultetum et Scabinos praesente praefecto ius dixisse. En ipsum factum, vti a LAVFFERO narratur: "Der Schuldheis hätte samt seinen Beysizern die bürgerlichen Händel geschlichtet, und zwar in Beyseyn des Reichsvogts, wie solches das einzige Beispiel, so unsere Geschichtbücher aufgezeichnet hinderlassen, mitgiebet, wann sie sagen: daß zu der Zeit, da Otto von Ravensburg in des Kaisers Namen die Reichs-Geschäfte verwaltet, in seinem Beywesen vor Gericht zu Bern erschienen, Walter von Wädischweil, Freyherr zu Unterseen, andere sezen Walter von Eschibach und der Probst samt dem Capitel von Interlacken, welcher letztere klagte, daß jener das Kloster wider recht kümmere,

tetus, qui de debitis pronuntiabat, pignora capiebat, et creditoribus satisfieri cogebat, ac adiunctus erat *Scabinis*, vt horum dignitas, honor, et auctoritas eo maior esset, et promptior executio *h*). Obnoxius quidem erat pri-
mum *Ducis* et *rectoris* prouinciae potestati, postea tamen non nisi *Imperatori* immediate subiectus. Successu autem temporis, sublata *praefectura*, *Sculteti officium* etiam *ad criminales caussas extendebat*, eoque factum, vt *Scul-
tetus supremus ciuitatis rector et magistratus haberetur i*).

§. 12.

Imperatoris autem Friderici II. beneficio Bernates propter fortē et fidelem operam, quam ipsi nauarant, a iure *praefecti* exemptos esse, a quibusdam contenditur *a*). Verum enim vero, quum nullum primi priuilegii repe-

C 3 riatur

kümmere, und sich des *Vogts-Amts* über dasselbe unrechtmäßiger weise annasse; worauf der von Wädischweil seinen Fehler soll erkannt haben, und durch *Unterhandlung des Reichs-Vogts* mit dem Kloster zu einem gütlichen Vertrag soll gekommen seyn." Sed hoc casu non de causa mere ci-
vili, sed de pace publica iureque caesareo quaestio erat. Prae-
terea notum est, *praefectum adhibitis Scabinis ius dixisse*, adeoque lis ista non coram *Sculteto et Scabinis praesente Praefecto*, sed coram *Praefecto et Scabinis suscepta esse videtur*.

h) SIMLER I. c. pag. 245 seq.

i) SIMLER I. c. pag. 246.

a) SIMLER I. c. p. 80. FVESLIN Epit. cap. X. §. 8. LEV Schweitzerisches Lexicon, T. III. p. 231. STUMPFPIVS Chron. P. II. Ed. 1548. p. 248 et 249. anno 1223, STETTLERVS (Schweizer Chronik, Lib. I. p. 8.) anno 1228 *praefecturam sublatam esse credunt*.

riatur vestigium, tempus, quo Bernates a iure praefecti exempti sint, definiri nequit. Anno certe 1255 praefectura adhuc extitisse videtur b). Proxime igitur ad verum accedere eorum opinionem putamus, qui finem praefecturae in turbulenta illa tempora, quae magni interregni nomine insigniuntur, ponendum esse credunt c).

§. 13.

Praincipia igitur Bernensis ciuitatis instituta publica originis Germanicae sunt, habuitque illa germanicarum ciuitatum more 1) Scultetum et Senatores e populo electos, qui reipublicae praeerant, 2) iudicium ciuale, et portremo 3) etiam criminale. Rara tantum apparent peregrini iuris vestigia, neque iudiciorum ordinem, quem hoc praescribit, Bernae vñquam deprehendimus, eademque, qua reliquae ciuitates animi auersione ac pertinacia ne iura peregrina intra moenia sua reciperentur, Bernam quoque obniti videmus.

Eo autem tempore, quo iura ista in Germania magis magisque inualescebant, vinculum, quo Berna vrbs Imperio R. G. iuncta tenebatur, valde iam relaxatum erat, iurisque praesertim canonici auctoritas religionis reformatione plane sublata est. Quo factum, vt iuris romani et canonici

b) STELTHERVS (l.c. p.9.) documentum a. 1255 allegat, quod ita incipit: Vlricus de Wippingen, Aduocatus, Burchardus Aegerdon, Scultetus et communitas Bernae.

c) IACOB LAVFFERS Beschreibung Helvetischer Geschichte, P. III. L. II. p.47.

nici nullus sit in iudiciis Bernensibus subsidiarius vsus a), adeoque et iudiciorum forma, ordo, modusque in iis procedendi non nisi e legibus particularibus sit repetendus, ac deficiente expressa lege a iudice pendeat agendi quoque modum ad aequi bonique regulas componere.

§. 14.

Berna vrbs primis statim postquam constituta erat annis insigni virtutis felicitatisque flore conspicua erat a). Breui finiebatur seruitutis, qua sub Sabaudiae Comite vexabatur, tempus b). Variis grauibusque bellis feliciter confectis summa valuit vrbs auctoritate, nobilesque ei infestissimi, tot tantisque virtutis territi documentis non solum odium inueteratum deponebant, verum etiam civitatis ius expetebant. Atque ita factum est, vt Bernatum res indies increuerint; praeſertim postquam alios consines agros victoriae praemium retulerunt, alios emtione, deditione aliisue pactis acceperunt c). Nobilium, qui iure ciuitatis donati erant, possessiones Bernensis territorii pars habebantur d). His autem in terris legum illa confusio,

quam

- a) Gerichts-Satzung vor die Stadt Bern und derselben deutsche Städte und Landschaften, P. III. Tit. 15. §. 12. S. I. KAFF Observat. miscell. ex iure priv. Helvet. Tub. 1778. §. 1. Id. Obs. miscell. cont. Tub. 1779. §. 1.
- b) FVESLIN Epit. L. II. Cap. X. §. 5.
- c) LEV Schweizerisches Lexicon, Tom. III. p. 132.
- d) Vid. D. THÜRING FRICKARDS Beschreibung der Streitigkeit zwischen der Stadt Bern und den Zwingherrn unter Peter Kistlers Regierung.

quam supra nominamus (§. 2.) ab ultima antiquitate obtinebat, ideoque quilibet fere locus etiam nunc particularibus suis legibus et consuetudinibus vititur e). Admodum etiam diuersa erat indiciorum forma, municipalis partim, partimque patrimonialis. Supererant prouincialia quoque iudicia, quae Imperatoris nomine exercebantur, mutatis autem temporibus cum reipublicae statu minime conueniebant. Quae omnia non sine quietis publicae perturbatione et magno longoq[ue] labore in iustum ac salutarem ordinem reduci poterant.

§. 15.

Nobiles Bernae ciues summum quidem ciuitatis imperium agnoscebant etiam in terris suis, subditosque suos ad communem patriae defensionem et ad praestanda pu-

Regierung. Helvetische Bibliothek 1735, St. 3. p. 29: dannethin so wäre auch kundlich, da die Stadt Bern wäre aufgekommen, dass die Herren allenthalben ab dem Land der Stadt mit ihrer Mannschaft wären zugestanden, der Stadt Nutz gefördert, sich selbsten getötet, auch nicht allein ihre Unterthanen zu tällen zugelassen, sondern auch anfangs darzu genöthigt; Habe also die Stadt an Leuten und Gut zugenommen, und die gewaltigen umliegenden Grafen und Herren bezwingen und auskanfen mögen etc. p. 28: "Als die von Kien in die Stadt gezogen, da Bürger waren, und in dem Rath sassen, haben sie sich der Herrschaft entzogen (entäusert), und die Mannschaft mit hohen Gerichten der Stadt übergeben, wie auch dazumahl viel andere Herren gethan hätten etc. ibid. pag. 36, 37 sq. 64 sq. et 99 sq.

e) Gerichts-Satzung, P. III. tit. XV. §. 11.

blica subsidia adigebant; plurima vero potestatis ciuilis iura, iurisdictionem praeſertim, partim criminalē quoque, sibi vindicabant. Haec tamen pedetentim ad ciuitatem delata sunt et successu temporis prouocationes quoque a iudiciis prouincialibus et patrimonialibus ad Senatum Bernensem inualuerunt a). Idem quoque ratione fundationum ecclesiasticarum, in territorio Bernensi sitarum, obtinuit b).

§. 16.

Seculo autem decimo quinto inter ciuitatem nobilesque eius ciues magnum de hisce iurisdictionibus exorriebatur

a) Vid. FRIKARDS Beschreibung etc. l.c. p. 50: die Geschlechter haben gutwillig den ihrigen und ihnen selbs die Tell auflegen lassen, und durch ihre Amtleute einziehen und hieher (Bern) währen; desgleichen da man hat führrens bedörffen, hab ich sie dessen nie gehört wiedrigen; die Appellationen kommen daher, das, als mit der Zeit die Bauren halsstarrig worden, den Herren nicht mehr haben vertrauet oder vertragen, dass sie sie straffen sollen, haben sie dieselben durch Bekanntniß des Rechtnens straffen müssen; daher die Appellationen nicht füglich für sie, als Sächer kommen könmiten, da haben zum ersten in die Stadt lassen appelliren, sind auch weidlich in ihrem Rechten gehandhabet worden; haben also aus diesem Anfang hernach auch denen nicht versagt, so von ihnen für meine Herren appelliren wollen; ist also für und für in Brauch kommen, das man aus allen Herrschafften und Land-Gerichten, wenig Herrschafften ausgeschlossen, von den Twingherren an die Stadt geappellirt etc.

b) Ibid. pag. 85.

D

riebatur dissidium, ex quo totius reipublicae conuersio et perturbatio metuebatur a). Plebeiorum in patricios iniuria suprema, quae ciuitas in horum possessionibus exercet, iura magis magisque extendere studebat. Quam plebeiorum proteruum vir eius temporis paeclarissimus, inclitus Eques Adrianus Bubenbergius, graui in eam habita declamatione, his depinxit verbis: "Sind in wenig Jahren nicht etliche aufgestanden, die arme schlechte Gesellen und Handwerksleute gewesen, die man genannt Meister Peter, Meister Rudolf, Meister Hanns, die jetzt ihre Handwerke nicht mehr treiben, die grosse Junkeren seyn wollen, vor denen man sich nicht dörfen bücken, eine halbe Meilwegs mit entdecktem Haupt gegen ihnen kommen, mit Junker und gnädiger Herrschaft sie anzusprechen? womit haben sie das überkommen, so sie es doch nicht ererbt haben, und in kurzen Jahren arm geseyn sind? Jetzt fangen sie an Muthwillen, wollen uns unser väterlich und müchterlich Erb nehmen, Brief und Siegel nicht gelten lassen. Lieber! wenn man solche Sachen von einem grossen Fürsten sagte, würde dieser nicht selbst sagen: O was grosser Tyrainen! und sie thun es selber" b). Primus huius dissidii auctor et instigator fuisse videtur Petrus quidam KISTLERVS, quem FRIKARDVS, tum temporis reipublice Secretarius, nouum Catilinam vocat. Consilia eius iniusta quidem, neque tamen male concinnata fuerunt. Nec id inficias ire possumus, magnam has turbas

viii

a) FRIKARD's Beschreibung l. c. p. 17.

b) L. c. p. 67.

vim habuisse ad rempublicam firmandam ac diligentiori disciplina administrandam. Nobiles iurisdictionem in terris suis sibi vindicantes non nisi ea, quae supremae protestatis sunt, iura, concedere voluerunt ciuitati, et provocationes quoque subditorum suorum ad senatum Bernensem, vtrum permittere vellent, nec ne, ex ipsorum tantum arbitrio pendere censuerunt. Appellationi autem tunc nullo modo locum esse, acriter contenderunt, si Berna ciuitas ipsa ex causae decisione lucri aut commodi aliquid possit expectare, quod si ita res comparata sit ad Imperatorem prouocandum esse c). Raro id quidem locum habere posse, propter iudiciorum Bernensium aequitatem et institiā. Non usum autem non tollere usum. Ridiculam enim esse quorundam de imperatoria urbis Bernensis potestate iactantiam d).

D 2 §. 17.

- c) FRIKARD l. c. pag. 24. Es möge männlich, so hinter dem Römischen Reich sizet, es seyen Fürsten, Herren, Städte oder Unterthanen, wider ihre Herren kommen; desgleichen die Fürsten und Stände wider den Kaiser, so sie es bedörffen; und wäre auch am Tag, daß der Kaiser oder König am Kaiserlichen Gericht viel Rechtshändel verloren.
- d) FRIKARD l. c. pag. 108: Nun sind wir jetzt König und Kaiser, wie wir dergleichen worden von den unsern hören, deren sich unsere Vordern übel geschämt hätten etc. Comparari his merentur, quae in *Iure Caesareo* P. IV. Cap. I. (DE SENCKENBERG Corp. iur. Germ. T. I. p. 112.) reperiuntur: Imperator eis (ciuitatibus) concessit hoc priuilegium, . . . vt extra villas aut ciuitates Imperii, in quibus habitarent, a nemine possint enocari ex ciuitate coram iudicio Imperii aut aliorum, quousque ciues imperii sunt, excepto ipso Imperatore etc.

Composita autem lite a), quamvis de re iudicaria plenarie cautum non fuerit, iudiciorum tamen forma atque ordo, ac iurisdictionis ambitus magis magisque firmabatur determinabanturque. Ciuitum quoque ad iudicia ecclesiastica extranea euocatio quolibet modo restringebatur b); donec repurgata apud Bernates a corruptelis christiana doctrina vltro cessabat; quo facto instituta sunt in territorio iudicia chori, et in ciuitate *iudicium chori superius*, quod disciplinae ecclesiasticae praest, morum censuram gerit et causas matrimoniales cognoscit. Liberate autem et summa potestate feliciter impetrata, patriae patribus quam maxime curae cordique erat, optima iustitiae administratione ciuium suorum tranquillitat et felicitati consulere. Iudicia autem bene constituta maximum praesertim ei reipublicae addunt robur, quae siue ab optimatibus, siue ab vniuerso regitur populo. Quanto enim maior est libertatis politicae ambitus, tanto magis tota iuris vis pendet a iudiciis, quae, ne teneriores propter imbecillitatem circumueniantur, neque locupletibus ad sua vel tuenda vel recuperanda obsit inuidia, optime prouident. Patriae profecto diuturnam tranquillitatem debemus potissimum iudiciorum praestantiae, opportunitati, ordini; legum iustitiae, simplicitati, claritati; iudicium assiduitati, experientiae, integritati.

a) Helvetiche Bibliothek, St. III. p. 207.

b) Ibid. p. 81.

§. 18.

Omnium iudiciorum Bernensium antiquissimum est praetorium, exterius (das äussere Gericht) quoque dictum (§. 7. 8. 9.). Accesserunt iudicia prouincialia et patrimonialia (§. 14. 15.); tandem ecclesiastica (§. 17.). Criminalium causarum cognitionem, quae, subdata praefectura, ad ciuitatem deferebatur (§. 10. 11. 12.), semper sibi reseruauit senatus maior, qui reipublicae gubernaculum tenet. Ut autem ciues ab omni iudiciorum arbitraria auctoritate tuti sint, patere iis ad superiora iudicia aditus debet. Ad exemplum iudicii, quod prouocationes ex agro Sabaudico audit, recentiori demum tempore in vsum quoque terrarum germanicarum constituta est curia prouocationum germanica, quae in locum minoris senatus et LX. virorum a) consilii, superiorum iudicium vires olim gerentis, successit. Optimis legibus rei iudicariae subinde prouidebant patres conscripti, praesertim annis 1615 b), 1667 c), 1743 d), 1761 e), 1764 f), 1787 g). Prima quidem ordinatio iudicialis, studio IACOBI DE KÜTTE, Ciuitatis secretarii, digesta et a. 1539 a Senatu

D 3 confir-

- a) SIMLERVS de republ. Helv. L. II. Edit. Tig. 1754. p. 250.
 - b) Gerichts-Satzung v. 1615.
 - c) Chorgerichts-Satzung v. 1667.
 - d) Erneuerte Chorgerichts-Satzung v. 1743.
 - e) Erneuerte Gerichts-Satzung v. 1761.
 - f) Verordnung über die Competenz der teutschen Appellations-Kammer v. 1764.
 - g) Verordnung über die Verminderung der Processe v. 1787.

confirmata, nunquam typis expressa est. Sub initium demum seculi decimi septimi opera IOANNIS STECKII *noua ordinatio prodiit h)*, cuius pars tertia de modo procedendi in iudiciis agit. Reuisa est haec ordinatio a commissione legislatoria praestantissima, conscriptaque *nouissima ordinatio i)* a viro celeberr. SIGISMUNDO LUDOVICO LERBERO, tum temporis iuris professore Bernensi, post prefecto Trachselwaldensi. Accesserunt, quae ad rem iudicariam pertinent, nouae leges, supra iam a nobis commemora-
tae k), quae honorificum, quo patriae patres iustitiae ad-
ministrandae prospiciunt, studii exhibit documentum.

- h) Der Stadt Bern erneuerte Gerichts-Satzung. Bern, 1615 in fol.
et in 4.*
- i) Erneuerte Gerichts-Satzung vor die Stadt Bern und derselben
deutsche Städte und Landschaften. Bern 1762, 1768, 1789.*
- k) G. E. v. HALLERS Bibliothek der Schweizer-Geschichte, P. VI,
pag. 396. 404 et 408 seq.*

SECTIO

S E C T I O II.

D E I V D I C I I S B E R N E N S I B V S .

§. 19.

In omni iudiciorum constitutione praecipue id videndum est, ne iudices sua possint abuti potestate, neque ciuium fortunae iuraque ab vnius tantum indicii dependeant sententia. Quantum igitur ordo iudiciorum bene compositus faciat ad firmandam rempublicam, tuenda iura, servandamque libertatem ciuium, nemo est, qui non perspectum habeat. Expedire quoque poterit reipublicae certis causis sua peculiaria dare fora; quo etiam commodo Bernensis fruitur respublica. Bernensia enim iudicia diversa sunt tum ratione formae, tum ratione obiecti. Si formam cernimus, aut inferiora sunt aut superiora; si obiectum respicimus, vel ciuilia, vel criminalia, vel ecclesiastica, vel denique politiam et ciuilem disciplinam spectantia.

§. 20.

Iudiciorum ciuilium inferiorum primum est *praetorium* (das Stadt-Gericht) quod originem suum formamque potissimum habet ex antiquo, qui cum Imperio Romano-Germanico ciuitati Bernensi fuit nexu, cuiusque est de omnibus causis ciuilibus cognoscere intra ciuitatis muros et extra, quatennus eius termini patent. Praesidem habet

habet Scultetum (Amts-Schultheiss), Vice-Praesidem primum apparitorem (den Grosweibel) qui illius maioris momenti negotiis impediti vices sustinere solet. Assessores sunt signifer et Senator iunior, qui tamen non nisi causa summi ponderis agatur, iudicio assistunt. Excipit hos iudicij secretarius decemque Senatorum maiorum numerus. Priorum officium annum est; reliquorum sex mensibus elapsis exspirat a).

§. 21.

In prouinciis alia est iudiciorum conditio, si germanicam, alia si gallicam (de qua mihi temporis angustiis inclusio sermo esse nequit) spectes terram. Omnium autem infima sunt in *praefecturis germanicis* iudicia singularum pagorum, in quibus praefectus eiusue vicarius praesidis munere fungitur. Eligit ille ex parochianis Assessores, quos Gerichtssässen, Richter vocant, utiturque in iudicio voti decisiui iure. Verum enim vero quum praeteritis his iudiciis statim adire praefectum liceat, plerunque breuiores hanc viam ingrediuntur litigantes, ita ut in plerisque causis soli praefecti ius dicere soleant b).

§. 22.

Iudicia, quae puniendorum maleficiarum causa constituta sunt, exercentur in *cives Bernenses* a summa Reipu-

a) FAESI Staats- und Erd-Beschreibung der Helvetischen Eidgenossenschaft etc. Th. I. pag. 564.

b) Gerichts-Satzung der Stadt Bern etc. P. III. Tit. 16. Ueber die Regierungs-Verfassung des Cantons Bern, Berlin 1793. S. 17. A. L. v. WATTENWEIL im Schweizerischen Museum 1783. Band I. pag. 153.

Reipublicae potestate, a senatu sc. ciuibusque siue senatu maiore; *huius provinciales* autem, quod ad inquisitionem processusque directionem et instructionem pertinet, a praefectis. Sententia autem semper fertur a senatu, *praevia commissionis criminalis* relatione. Executio praefecto demandatur; cui et causas criminales minores dijudicare licet, ita tamen, ut ab eius sententia ad superiore pro- vocare iudicem permissum sit c).

§. 23.

Causarum ecclesiasticarum cognitionem habent in prouinciis iudicia chori inferiora. Ciuium causas ecclesiasticas dirimit iudicium chori, quod Bernae institutum est, simulque politiam ecclesiasticam administrat. Chori iudiciis autem prouincialibus non nisi de causis ecclesiasticis minoribus competit cognitio, quam, si res altioris est indaginis, relinquere superiori iudicio debent, ad quod etiam ab illis pronocare permissum est. Iudicia chori prouincialia ex praefecto, pastore loci, assessoribusque parochianis consistunt. Iudicium chori superius autem duos habet ex senatu minore praesides, singulis mensibus alternantes, assessores ex ordine ecclesiastico duos, ex Senatu maiore sex d).

§. 24.

c) v. WATTENWEIL l. c. p. 152. LEV Helvetisches Lexicon, Th. III. p. 217 et 231. Ueber die Regierungs-Verfassung des Cantons Bern, pag. 22.

d) FAESI l. c. p. 564. v. WATTENWEIL l. c. p. 153.

§. 24.

Causarum denique politiae et disciplinae ciuilis curam
habent diuersa eum in finem optime constituta collegia,
1) *iudicium pupillare*, quod pupillorum educationi, bonis-
que prospicit et tutorum curatorumque rationes exami-
nat. 2) *Consilium commerciorum promouendorum causa
institutum* (der Commerzien-Rath), quod mercatorum di-
rimit lites. 3) *Aedilitas* (das Bau-Amt) quae de litibus,
quae ex aedificationibus oriuntur, cognoscit. 4) *Collegium
rei venatoriae praefectum* (die Jäger-Cammer) quod in
violatores legum venatoriarum poenas statuit; plures eius-
dem generis commissiones, vt taceam e).

§. 25.

Iudicia superiora sunt, quod ad res ciuiles attinet,
curia prouocationum et qui huic superior est, *patrum
conscriptorum collegium*. Est autem *curia prouocationum*
germanica et gallica; illi quaestor germanicae, huic gal-
licae ditionis praest; vtraque habet assessorum decem ex
senatu maiore. Quae prouocationum curiae, aequa ac iu-
dicium chori superius (§. 23.) senatui (Rath und Bürger)
subordinatae sunt, qui omnium *summum iudicium* est,
ad quod, nisi qualitas aut quantitas causae obstet, ab omni-
bus caeteris iudiciis prouocare licet f).

e) FAESI l. c. p. 565. LEV l. c. p. 215 sq.

f) FAESI l. c. p. 563 et 550. LEV l. c. p. 214. v. WATTENWEIL
l. c. p. 148. Ueber die Regierungs-Verfassung des Cantons
Bern, p. 18.

SECTIO

S E C T I O III.
DE INSTANTIARVM IVRE ET ORDINE.

C A P. I.
PRINCIPIA GENERALIA.

§. 26.

In ciuitate Bernensi tres sunt instantiae: *praetorium* (§. 20.) aliudue inferius iudicium, *prouocationum curia*, *senatus* denique *maior*. Prouincialibus primo patent iudicia prouincialia (§. 21.), tunc praefecturae; superiora autem iudicia communia cum ciuibus habent a).

§. 27.

Appellare per saltum non licet interque iudicium a quo et tribunal, ad quod prouocatur, intermedia adesse nequit instantia. Primam autem instantiam praeterire statimque praefecto causam proponere prouincialibus concessum est (§. 21.).

§. 28.

A quacunque sententia appellari potest, nulla legibus exceptione statuta b). Id tamen rei naturae congruum

E 2 esse

a) Ueber die Regierungs-Verfassung des Cantons Bern, Cap. 2.
MVTACH Unterricht von Gerichts- und Rechts-Sachen, S. 196.

b) Gerichts-Satzung etc. P. III. Tit. XVI. §. 1.

esse videtur, ut sola sententiae prioris, iam vires rei iudicatae habentis, confirmatio appellationem excludat. A decreto quoque appellationem reificente ad summum usque tribunal prouocatio licita est, ita tamen ut, si frivola sit, prouocans in poenam 100 florins incidat e).

§. 29.

Ex qualitate tamen causae diuersae sententiae a cognitione ultimae instantiae senatus maioris exceptae sunt. Quae de cautionibus de iudicato soluendo d) aut de expensis refundendis e) feruntur sententiae, a prouocationum tantum curia in ultima instantia possunt examinari f); quod et de expunctione passuum in replicis aut duplicis inadmissibilium g), nec minus de purgatione scriptorum iudicialium ab iniuriosis aut indecentibus dictis valet h). De delictis quoque minoribus, quae pecunaria tantum mulcta et priuata satisfactione puniuntur, ex noua legē et prouocationum curia in ultima instantia cognoscit.

- e) Verordnung über die Verminderung der Processe, d. d. 30. Mart. 1787, et confirm. 12. Jan. 1789. §. 5. Anhang zur Gerichts-Satzung, p. XXXVI.
- d) Gerichts-Satzung, P. II. Tit. VII. §. 6.
- e) Ibid. P. III. Tit. VI. §. 1.
- f) Verordnung über die Verminderung der Processe, §. 2. et 3. Anhang zur Gerichts-Satzung, p. XXXV.
- g) Gerichts-Satzung, P. III. Tit. XIII. §. 3. 6. et 8. ubi, ne noui quid replicis et duplicis immisceatur, cautum est.
- h) Verordnung über die Verminderung der Processe, §. 2 et 3.

cognoscit instantia *i*), quum olim contra sententias, quibus multa pecuniaria irrogabatur, indistincte aditus ad maiorem senatum patuerit.

§. 30.

Ratione quantitatis causee competentia diuersorum iudiciorum ita definita est: 1) vt a iudiciis prouincialibus prouocare liceat, summa, quae est in lite, decem ℥ excedat, necesse est. 2) A iudicio *praetorio*, *pupillari*, et *praefectorum* sententiis prouocari nequit, nisi plus quam centum ℥ in lite sint. 3) A prouocationum curia non nisi in maiorem, quam 1000 ℥ *k*) summam excurrat obiecti litis pretium, ad summum iudicem patet aditus. Summa autem petitionis tantum attenditur, nec ad eam expensae litis, quantaecunque sint, computari possunt *l*).

§. 31.

Nulla vero quantitatis causae ratio habetur, quando certae aestimationis locus non est, aut vbi de priuatione iuris agitur, speciatim si de censibus, decimis aliisque iuribus fundo inherenteribus certatur *m*), nec non *si in causis*

i) Ibid. §. 4.

k) Verordnung über die Competenz der deutschen Appellations-Kammer vom 4. und 7. Jun. 1764. II. Anhang zur Gerichtssatzung, p. VI.

l) Gerichts-Satzung, P. III. Tit. XVI.

m) Gerichts-Satzung, P. III. Tit. XVI. §. 1: "Es sey dann um obrigkeitliche oder herrschaftliche Rechtsame, auch Boden-

Zinsen,

cäusis iniuriarum, aut de delictis, quae pecunia multari solent, lata est sententia *n*); quod tamen posteriori lege ita definitum est, vt iura fundo inhaerentia ante iudicialem discussionem a iuratis taxatoribus sint aestimanda, et secundum indictum istorum iurium pretium competentiae iudicis (§. 30.) locus esse debeat. Aestimatione omissa prouocationum curiae est, vltimam ferre sententiam, nec vlderius remedium admittitur. Quando de servitute lis est, non eius quidem, sed ipsius fundi, cui inhaeret, pretium indicendum est *o*). De delictis minoribus (§. 29.) quoque et de iniuriis, nisi palinodia sit iniungenda, iam nunc prouocationum curia definitiue pronuntiat *p*).

Zinsen, Zehnenden, oder andere Grund-Gerechtigkeiten zu thun; als welche allezeit bis vor den höchsten Gewalt ungehindert gezogen werden können.”

n) Ibid. §. 11.

o) Verordnung über die Verminderung der Processe, §. 1. Anhang zur Gerichts-Satzung, p.XXIV.

p) Ibid. §. 4.

C A P . II .
D E A P P E L L A T I O N E .

T I T . I .

D E F A T A L I I N T E R P O N E N D A E A P P E L L A T I O N I S .

§ . 32 .

A sententiis in iudicio inferiori aut praetorio latis statim post publicatam sententiam et iudicio adhuc sedente appellandum est *q*). A praefectorum autem sententiis intra quatuordecim dies a publicatione computandos appellatio coram iudice ipso interponenda *r*). A prouocationum denique curia intra 48 horarum spatium coram secretario appellandum *s*).

§ . 33 .

Elapso fatali, omissaque appellatione sententia rei iudicatae vires nanciscitur, nisi iustae excusationis causae, vt officii publici impedimenta, grauis morbus, captiuitas, aliaeue a iudice pro legitimis habitae probentur *t*).

§ . 34 .

Appellatio autem diebus quoque feriatis, festis saltem diuinis exceptis, interponi potest *u*).

T I T .

q) Gerichts - Satzung, P. III. Tit. XVII. § . 1.

r) Ibid. § . 4.

s) Ibid. § . 7.

t) Ibid. § . 11.

u) Ibid. Tit. XIX. § . 1.

TIT. II.

DE IUDICIS OFFICIO POST INTERPOSITAM APPELLATIONEM.

§. 35.

Quando ob defectum summae appellationi locus non est, iudex inferior prouocationem interpositam decreto reiectorio inadmissibilem declarare potest v). Quod si iudex neglexerit, parti appellatae defectum istum allegare, et ut reiiciatur prouocatio, poscere licet w).

§. 36.

Si vero appellationi locus est, secretarii iudicij a quo sententiam intra triduum in forma consueta expedire debent. Quo facto illa sigillo munienda et intra 24 horas appellanti tradenda est x).

§. 37.

Iudex inferior documentum interpositae appellationis edere, in eoque diem horamque interpositionis accurate indicare debet y).

TIT. III.

DE MODO PROCEDENDI IN SUPERIORI IUDICIO.

§. 38.

Maxime praesertim laudanda est patrum conscriptorum de abbreviandis litibus cura. Ciuium quidem libertati et iuribus

v) Ibid. Tit. XVI. §. 8.

w) Ibid. §. 9.

x) Ibid. Tit. XIX. §. 2.

y) Ibid. §. 5.

iuribus optime prospexerunt leges, quod, quae ab inferiori iudice gesta sunt, subiaceant adhuc examini superioris. Sed ne in aeternum protrahantur lites, caendum erat. Hinc prouocationum ordo praescriptus, tempusque finiendorum processuum statutum.

§. 39.

Facilius autem litigatoribus, quam iudici terminus ponni potest. Fatale hinc introductionis appellationis est *vnius mensis* spatium, si a iudicio prouinciali aut praetorio aut a praefecti sententia appellatum est; *quatuor decim* tantum *dierum*, si prouocationum curia iudicauit, ratione tamen legitimarum excusationis causarum (§. 33.) habita z).

§. 40.

Appellationis processui terminus trimestris a) positus est, qui tamen strictissime non potest obseruari. Summum enim ius, vt plerumque, ita et hoc casu summa foret iniuria, et plus interest partium, vt iuste, quam vt iusto citius iudicetur. Verissimum enim est, quod PLINIVS b) ait: Temerarium existimo diuinare quam spatio sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignores; praesertim quum primam religioni suaem iudex

z) Ibid. Tit. XVII. §. 3. 6. 9. 11.

a) Ibid. §. 12. Ius Romanum intra triennium, Ius Canonicum intra annum lites finire iubet, L. 13. C. de Iud. Clement. 3. de Appellat.

b) Lib. VI. Ep. 2.

index patientiam debeat, quae pars magna iustitiae est. At quaedam superuacua dicuntur? etiam: sed satius est et haec dici, quam non dici necessaria. Praeterea an sint superuacua, nisi quum audieris, scire non possis.

§. 41.

A superiori iudice iusto tempore parti appellanti terminus ad sententiam audiendam praefigendus, ab hac autem appellatae parti, ne ei defensionis occasio desit, denunciandus est. Quod si appellans neglexerit deserta est appellatio c).

§. 42.

Friuola appellatio carcere d), interdum pecuniaria quoque mulcta (§. 28.) punitur.

c) Ibid. Tit. XIX. §. 6.

d) Ibid. §. 7.

CAP.

C A P. III,
DE RECVRSV AD SVPERIOREM IVDICEM.

§. 43.

Praeterito iudicio prouinciali statim adire licet praefectum (§. 21.), ab eiusque sententia intra 14. dies *recursus ad superiorem* patet iudicem *e*). Quod quidem remedium a parte grauata coram praefecto interponendum, et apud iudicem superiorem intra viius mensis spatium prosequendum est *f*).

§. 44.

Praeterea quoad hoc remedium idem est modus procedendi, qui obseruatur in processu appellationis, ita ut eadem, quibus in appellationibus locus est, fatalia et solemnia sint obseruanda *g*).

e) Gerichts-Satzung, P. III. Tit. XVIII. §. 1.

f) Ibid. I. c. §. 2. 3.

g) Gerichts-Satzung, l. c. §. 4 et 5. Verordnung über die Competenz der deutschen Appellations-Kammer v. 4. u. 7. Jun. 1764.

§. 1. Anhang zur Gerichts-Satzung, p. V.

C A P. IV.

DE REMEDIO RESTITUTIONIS IN INTEGRVM.

(Vom neuen Recht.)

§. 45.

Singulare porro remedium iis concessum est, qui ob ignorantiam factorum sibi vitium, aut propter neglectum formalium processus causa ceciderunt. Licet iis petere nouum *ius*, vt vocatur, nouum sc. causae suae examen, seu, quae in processu Imperii R. G. inualuit, restitucionem in integrum *h*). Locus autem huic remedio est contra quamlibet sententiam, a quoconque lata sit indicio *i*).

§. 46.

Facile enim contingere potest, vt pars aliqua causae suae fundamenta ignoret, ideoque litem amittat. Quod si igitur ea post latam sententiam alia eademque meliora fundamenta reperiat, eaque iudici proponat, aequum est, vt ad nouam iuris sui, nouis argumentis nunc demum repertis firmati deductionem admittatur. Quo facto iudicis est causam denuo examinare, et secundum iuris ordinem pronuntiare.

§. 47.

h) MvTACH l. c. p. 126.*i) Gerichts-Satzung*, P. III. Tit. XX. §. 1.

§. 47.

Necesse autem est, ut noua actionis exceptionis
fundamenta vera grauiaque sint, et post latam sententiam
demum reperta. Ex clara enim legis dispositione noua
non sunt, quae tanquam ad rem non facientia ex errore
reticuerunt litigantes *k)*. Legi tamen contrarium non
esse videtur, antiqua argumenta nouorum factorum pro-
batione illustrare aut factorum antea iam propositorum
veritatem nouis instrumentis vel testibus vel etiam ratio-
cationibus firmare.

§. 48.

Deinde restitutioni in integrum locus etiam datur
ob neglectum formalium. Fieri enim potest, ut litigans
minus instructus, minusue attenus, absque dolo litisue
protrahendae animo, formale aut fatale quoddam negli-
git, eoque ipso in periculum litis amittendae incidat.
Iusto sane durior hoc casu foret poena, si quis absque
villa spe iusta forsitan causa caderet, nec excusationi qui-
dem locum darent leges. Opus autem est, ut neglectus
fatalis aut formalis probabili aliqua ratione excusari possit.
Nullum enim dissolutae negligentiae praesidium consti-
tuere voluisse legislatores *l)* vltro patet.

F 3

§. 49.

k) "Titel, die man erst seit der beurtheilten Procedur zur Hand
gebracht hätte." Gerichts-Satzung, l. c. §. 2.

l) "Um Formalitäten, die in Verführung solcher Procedur über-
sehen worden wären." Gerichts-Satzung, l. c. §. 2.

§. 49.

Quum tamen partis grauatas fuisset, diligentiori cura argumenta documentaque sibi proficia inuestigare, formaliumque obseruandorum habere rationem, decretum est, vt refundat alteri expensas, in priori via ab ipso factas *m).* Sunt forsitan, qui hanc constitutionem non plane aequitati conformem crediderint, quum in priori casu, ne culpa quidem adsit, nec dici possit partem vicerem mutato libello inanes habuisse expensas; in posteriori autem casu iusta excusationis causa supponatur; in utroque igitur casu tunc demum expensarum refusioni locus esse possit, si restitutionis petitum nullo nitatur fundamento. Alia quoque oritur quaestio, si iudicis incuria in modo procedendi aliquid peccatum fuerit. Restitutioni in integrum locum esse, ex generali dispositione recte concluditur, an vero hoc quoque casu expensae refundendae sint parti imploratae, merito in dubium poterit vocari.

§. 50.

Restitutio autem in integrum seu, vt in lege nostra appellatur, nouum ius nihil aliud est, quam reductio caussae in eum statum in quo ante latam sententiam gravantem fuit. Petenda igitur est ab eodem, quod sententiam tulit, iudicio *n).* Ipsius enim, qui restitutionem in integrum petit, ignorantia aut error causa est, ob quam

m) Gerichts-Satzung. Ibid. §. 37
n) Ibid. §. 4.

sententiam impugnat, firmiter persuasus, iudicem, si noua nunc allata iam antea proposita, aut formalia neglecta debito modo obseruata fuissent, non potuisse non aliter pronuntiare, ac pronuntiatum est.

§. 51.

Vna tantum exceptio a regula est, si contra sententiam ab Imperante ipso, Senatu sc. maiore latam in integrum petitur restitutio. De ea enim cognoscit prouocationum curia o). Eximium integratatis studiique promovendae iustitiae exemplum!

§. 52.

Tempus, intra quod restitutio in integrum peti potest, definitum non est. Ex insigne itaque patriae patrum de abbreviandis litibus studio sperandum, fore ut huic defectui, si vsus fuerit, medeantur.

§. 53.

Non autem solum noui iuris auxilio caussa in pristinum, in quo ante latam sententiam grauanted fuit, statum reducitur, sed et processus ordinario iuris tramite continuandus est. Audienda igitur et altera pars, cumque ea communicanda ab implorante noua caussae fundamenta, vt, si velit, apud iudicem restitutionis petitioni iusto tempore possit contradicere p).

§. 54.

o) Ibid. §. 8.

p) Gerichts-Satzung, l. c. §. 5: "Es muß aber auch derjenige, der ein neues Recht sucht, solches der Gegenpart, durch Ueber-

A concessu aut denegato ab inferiori iudice remedio restitutionis appellari potest, modo ordinaria appellatio-
nis requisita (§. 30.) adsint, formaliaque et fatalia (§. 32.) obseruentur q).

Uebersendung seiner dazu habenden Gründe, ordentlich kund
machen, damit dieselbe, falls sie sich der Bewilligung sotha-
nen neuen Rechts widersetzen wollte, durch den Richter
darüber vernommen werden möge."

g) Gerichts-Satzung, l. c. §. 6 et 7.

THESES.

T H E S S.

I.

Vtique Legibus coercendum est scribendi legendique arbitrium.

II.

Rationi haud consentaneum esse videtur, inter tot alias religiones, in ciuitatibus toleratas, Edictis interdicere religionis rationalis professionem et exercitium.

III.

Prudentia politica nullo modo aduersari debet praeceptis ethicis.

IV.

Imperanti non competit ius, siue subditum siue peregrinum immeritum pro libitu muneribus, honoribus, praemiis ornandi et ad altiores dignitatis gradus euehendi.

V.

Omnis ciuitatis formam ita constitutam esse oportet ut, ratione et experientia aliquando alia suadentibus, ad eius emendationem modeste, honeste et iuste conferre ciuibus per leges liceat.

G

VI.

VI.

Quae cum Galliae regibus inita sunt pacta, Francorum populo seruanda sunt.

VII.

Inter omnem Helvetiorum terram et Imperium Romano-Germanicum omne subiectionis vinculum penitus solutum est, nulla ubique nexus feudalis habita ratione.

VIII.

*Foederis helvetici socii (die zugewandten Orte der Schweiz)
Art. VI. I. P. O. sine dubio comprehensi sunt.*

C O R R I G E N D A.

Pag. 13. §. 5. lin. 8. pro conditori l. conditore.

Pag. 16. §. 7. lin. 1. pro XIV. l. XII.

Pag. 16. §. 8. lin. 1. pro coloniam l. Coloniam.

Pag. 31. §. 20. lin. 2. pro suu*ni* l. suam.

Pag. 34. §. 25. lin. 2. pro qui huic superior l. quod hac superius.

Pag. 37. §. 30. lin. 1. post causae deest,

Pag. 40. §. 36. lin. 2. deest, post quo.

Pag. 41. §. 38. lin. 3. pro pratahantur l. protraherentur.

Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle
005 303 338

3



Sb



12

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
SISTENS
OBSERVATIONES QVASDAM
DE
RE IVDICIARIA BERNENSI

~~486~~

QVAM
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
DIE V. AVGUSTI MDCCXCVI.

DEFENDET
CAR. LVD. RVDOLPH. DE WATTENWYL, DE MALESSERT
CIVIS BERNENSIS.

GOTTINGAE
TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.